

8  
XX

DE  
VIRGA MESSIÆ FERREA,  
*REGIÆ DIGNITATIS*  
SYMBOLO  
EX  
II. PS. 9.  
DISSERENS,  
AD

# LEGUM GYMNASII ELBINGENSIS PRÆLECTIONEM

ET  
JUVENTUTIS TRANSLOCATÆ  
LUSTRATIONEM

D. X. SEPT. A. MDCCL  
*SOLEMNI RITU CELEBRANDAS*

MUSARUM


# PATRONOS dubl. do 532. AC FAUTORES

OMNIS ORDINIS, OMNISQUE DIGNITATIS  
SUMMOPERE COLENDOS  
DECENTER INVITAT

JOANNES LANGIUS,  
RECTOR.

---

ELBINGÆ, STANNO PREUSSIANO.



**S**i quid est in homine judicii, rerum humanarum juxta ac divinarum exercitatione confirmati, is facile mihi pollicem premet, in dirigendis mortaliū actionibus, præprimis vero in juventutis scholaſticæ morib⁹ ad sanctissimam DEI voluntatem, justissimumque Parentum ac Patronorum nutum componendis, salutari piaque de Christo meditatione nihil prius, nihilque posterius esse. Quapropter cum in eo rerum articulo me constitutum esse sentiam, in quo commodo proximi & usui juventutis, festivitatique anniversariæ conveniens quid publice exarandum sit, in VIRGAM MESSIÆ FERREAM, REGIÆ DIGNITATIS SYMBOLVM, oculos animumque defixos habere placuit, de qua Davides l. c. בְּשַׁבָּט בֶּן־יִצְחָק inquit תְּרֻעָם s. conteres illos virga ferrea.

Virgam sceptri naturam induentem æque ac coronam summos imperii fasces denotare, omniaque majestatis jura significare, constat inter omnes. Quippe Reges, rerum publ. gubernaculis admotos, & in publico aut pro tribunali versantes, sceptrum manibus tenuisse, non sacer modo V. T. codex, a) sed monumenta quoque Græcorum, Romanorum, aliorumque satis superque testantur. Id quod partim ad declarandum rectitudinem, quæ regimini inesse debet,

---

a) Amos. I, 5. Bar. VI, 13. Esth. V, 2.

45.

debet, partim etiam severitatem, quandoquidem hoc instrumento  
inobedientes reosque verberare potes, factum esse ignorat nemo.  
Hinc non Moses modo, populi israelitici Dux, virga s. baculo sce-  
ptri instar regalis usus est, b) sed singulas quoque Isacidarum tribus,  
eodem principalis dignitatis & judicandi facultatis teste, gavisas  
fuisse, ex duodecim illis cum inscriptione nominum in tabernaculo  
positis, ex quibus Aaronis floruit, facile conjecturatu est. c) Quod  
vero ad Romanos attinet, videre est apud Plutarchum, d) Præconsuli-  
bus aliisque majoribus apud illos Magistratibus, penes quos reip. cura  
stetit, virgas, imperii regalis symbola, annexis securibus colligatas,  
lictores prætulisse. Ad hæc tanta regiæ virgæ, in qua jura dabant,  
apud Græcos fuit religio, auctoritas tanta, ut quod ex facto Aga-  
mennonis constat, illi per sceptrum Principis fidem datam firmasse  
dicantur. e) Quodsi vero conjecturæ locus datur, populi occiden-  
tales hanc principatum delineandi consuetudinem ab Orientalibus,  
præprimis Aegyptiis petiisse videntur, qui imperium & majestatem  
*συμβολικῶς* declaraturi, characteres inter, quibus sapientiam suam  
involvebant, sceptrum elegerunt, cui vel oculum vel stellam, (oculo  
scientiam; sceptro autem potentiam indicantibus,) sæpe addide-  
runt. f)

His præsuppositis nobis indagandum est, cuinam virga illa,  
a Psalte laudata, competit. Plurima quidem Judæorum neoticorum  
pars & cum his Grotius, g) illam Davidis esse, respondent; ast cum  
Davidem omnium gentium & universæ terræ Dominum fuisse, v. 8.  
Pſ. cit. omnesque Reges ac Judices eum veneraturos esse, v. 11 - 13.  
dici nequeat, de alio, Davide majore, hunc psalmum & illa in primis  
verba, in quibus regalis hujus dignitatis ratio habetur, intelligendum  
esse animadvertisit omnis. Hinc præter Brentium, Schmidium ac  
Calovium, laudatissimos cantorum davidicorum Commentatores,

b) Exod. XVII, 5.

c) Num. XVII, 2-8.

d) *in quest. rom.*

e) *Hom. L. II. Iliad.*

f) *vid. Horus Apollo in hieroglyphicis Ægyptiorum.*

g) *in annot. in V. T.*

Theod. Hacspanius, magni nominis Theologus, otia nobis fecit, h) evidentissimis in apricum ponens argumentis, Psalmum secundum; in quo nulla auctoris fit mentio, a Davide quidem compositum esse, non vero de Davide, sed Davidis Domino agere. Quippe filium DEI, Messiam, Regem in monte Zion a Domino constitutum esse, æterna Regis hujus generatio, v. 7. dominii ipsius amplitudo, v. 8. universalis omnium Regum & populorum subjectio, v. 10. religiosa, qua ille afficiendus est, invocatio, v. 11. 12. imo singula totius Psalmi commata verbaque satis evincunt. Idem enim ille est, cui Dominatori, i) Regi gloriæ, k) Principi pacis, l) omnia subjecta sunt sub pedibus ejus, m) cuique probe regnaturō omnis mundus a Patre in hæreditatem datus est. Quem Nathanael quondam conspiciens, ita alloquitur: Rabbi, tu es Rex Israelis. n)

Quamvis vero Judæos consentientes habeamus omnes, Messiam non hominem, e fece infimæ plebis, vulgique ignobilis stirpe oriundum, sed Regem fore; imo præcipuum hoc doctrinæ judaicæ caput esse sciamus, quod Messiam, qui e regio domus davidicæ stemmate prognatus, Rex futurus sit, expectent; in eo tamen maxime in contrarium abeunt, ut temporale saltem Salvatoris regnum somnient: o) nobis contra id spirituale esse contendentibus. Hinc disceptationis, quam Limborchius cum verpo quodam erudito religionis fideique christianæ confirmandæ gratia instituit, p) non ultimum fuisse argumentum legimus, q) quale Messiæ regnum sit futurum, temporale an spirituale: illud ex præconcepta opinione Judæo; hoc vero ad verba Christi: regnum meum non est de hoc mundo, r) Christiano adfir-

---

h) *ad Lipm.* p. 344.

i) VIII. Ps. 2.

k) XXIV. Ps. 7.

l) Jef. IX, 6. 7.

m) Ebr. II, 8.

n) Jo. I, 49.

o) vid. *Jac. Martin. L. III. de tribus Elohim.* c. 112. p. 736. *Hunn. T. V. op. lat.* p. 126. disp. 16. th. 45 & 53.

p) *conf. Limborchii amica collatio cum erudito Jædæo de veritate rel. christ.* p. 58.

q) *in Buddei Th. Mor.* P. II. c. I. §. 13.

r) Jo. XVIII, 36.

adfirmantibus. Hoc autem Christi regnum, quod vel intuitu creaturarum omnium, vel respectu ecclesiæ cum in hac tum in futura vita potenter, gratiōe & gloriose administrat, ipsi non modo qua divinam naturam competit, sed etiam propter unionem personalem & habitantem in ipso omnem deitatis plenitudinem, qua humānam non tribui nequit. Scep̄trum itaque Messiæ, sicuti & regnum ipsius æternū esse & omnia in cœlis juxta ac in terris sua complecti amplitudine, animadvertisit omnis. Nam quod Christus, Patri regnum traditurus, ab Apostolo dicatur, s) de ea saltem regni œconomia, quæ ad fœdus gratiæ pertinet, hoc intelligendum esse, res ipsa loquitur.

Ast non sufficit, ex hoc regiæ dignitatis charactere Messiam Regem constituisse, sed ratio insimul ordoque svadent, ut & virgæ hujus naturam ac usum, qui illam in regno messiano comitatur, consideremus. Sunt qui per virgam ferream, rebelles Christi contendent, Evangelium potens ad salutem omni credenti, verbumque Salvatoris, prodiens ex ore ipsius intelligunt. Sic enim Bugenhaus ad h. l. t.) „Quod credentibus est, inquit, vita & consolatio, „incredulis & adversariis est ferrea virga. - - - Evangelium omnia „nostra damnat: id quod non sustinent impii cum suo brachio se- „culari, ideoque verbo evangelico percutiuntur & occiduntur, i. e. „excæcati pereunt.“ Non quidem inficias eo, verbum Evangelii, per quod Christus ecclesiam suam regnat, nomine gladii Spiritus u) sceptrique justitiæ w) venire; interim ex Theologia puriori sic edocet, sic innutriti sumus: τὸ damnare, percutere, occidere, perdere, aliaque interitum animarum spirantia Legis esse; non vero Evangelii munus, quod consolatur, erigit, beat, hominesque de gratia DEI per Christum parta certiores reddit. Quodsi itaque verborum dävidicorum interpretationi inhæremus, verum illorum declaraturi sensum, appareat, non virgam evangelicam & gratiōfam, sed legalem

s) I. Cor. XV, 24.

t) in Psalterio Davidis, p. 13,

u) Eph. VI, 17.

w) XLV. Ps. 7.

& decretoriam ad destructionem omnium regni Christi adversario-  
rum paratam h. l. indicari. Nam sicuti virga, Salvatori tradita,  
pœnam denotat, ita epitheton illud: conteres s. confringes eos, qui  
hostes & legum tuarum contemtores, sceptro gratiæ i. e. verbo  
evangelico se submittere nolunt, diram interencionem, quam lex  
dicitat, comminatur. Non quidem sum nescius, LXX, quos & alii  
ad Episcoporum dominatum stabiliendum secuti sunt, Davidis תְּרוּם  
per ποιμανεῖς αὐτοὺς, pasces illos, interpretatos esse, sed quamvis τὸ  
pascere, si de Christo Salvatore sermo est, in paginis sacris pro  
summa potestate ponatur; non tamen virgæ pastoralis sed decreto-  
riæ h. l. mentionem factam, ideoque non per pasces, sed con-  
teres illos, exponendum esse, hi intelligunt, qui sciunt, aliud esse  
רַעֲהָ pascere, & aliud יְרֻעָה s. ut Arias habet רֹעֵעַ conterere, de quo  
תְּרוּם descendit. Quem significatum ipse contextus luculenter  
indicat; quippe statim additur: & sicut vas figuli in frusta quasi com-  
minues ac disperges illos. Quo omnino respicit Vates, x) qui no-  
mine DEI exclamat: אָו נִשְׁשׁ שְׁבָט בְּנֵי מַאֲסָת כָּל־עַזְּזָה, lætemur,  
virga filii mei spernens est omne lignuin. Quæ verba b. quidem  
Lutherus: O wie froh wolten wir seyn, wenn er gleich alle Bäume  
zu Ruthen machte über die bösen Kinder; Glassius vero ita interpre-  
tatur: y) Lasset uns froh seyn. Alles Holz ist zu gring gegen dieser  
Ruthe, welche eisern ist. Quam ferream virgam credo satis expertos  
esse Judæos, sine Rege, sine sacerdotio, sine templo oculis nostris  
quotidie oberrantes. Ubi enim Hierosolyma, sanctissima illa maje-  
statis divinæ sedes? ubi altare, sacrificiis immolandis incrustatum?  
ubi pectorale Sacerdotis, ad preces DEO commendandas & oracula  
cœlitus provocanda aptissimum? Sceptrum Messiae ferreum æque ac  
rectum justissimumque omnem Judæorum rempubl. gratia, favore  
& beneficiis indignissimam repudiavit, extirpavit, atroque notavit  
carbone.

Ex

x) Ezech. XX, 10.

y) in Phil. Sacr. L. V. Tr. I. c. VII. p. m. 1601. 1602.

Ex his animadvertisit facile omnis, Christo Salvatori atque Regi non modo jus ferendi leges, sed frivulos etiam illarum transgressores puniendi vi sceptri regii competere. Nemo vero inde concludat, me in eruditissimi Angliæ Theologi, Georgii Bulli z) & cel. operum ejus editoris Jo. Ern. Grabii sententiam descendere, Christum novum fuisse legislatorem adfirmantium. Sicuti enim a posse ad esse non valet consequentia, ita qui legum ferendarum jure gaudet, ut easdem quoque ferat, necesse non est. Sufficit, leges istas divinas, quas Moses cœlitus acceptas populo israelitico tradidit, a Messia qua DEO originem suam accepisse. Sufficit, Christum leges, ab omnibus Majorum traditionibus & Pharisæorum inquinamentis vindicatas, auctoritate regali restituisse & quasi renovasse. Sufficit a DOMINI Dominantium & REGIS Regentium sceptro messiano omne imperium, omnem auctoritatem, omniaque illorum, quos publicæ saluti divina præesse voluit cura, jura dependere majestatica.

Hæc inter Majestatis jura, sceptri & dignitatis regalis criteria, haud ultimum sibi vindicat locum jus leges ferendi; aa) leges, quarum summam necessitatem, quicquid etiam dira Antinomorum caterva in contrarium proferat, & ipsa hominum imbecillitas & virtutis arguunt æquitas; leges, sine quibus nulla nec civitas nec societas florere & stare diu potest. Quo hinc ethnicorum Philosophi non minorem legibus ac ipsi Deo reverentiam & obsequium deberi declararent, illarum originem vel præeunte Lycurgo ad Apollinem, vel quod Minoëm fecisse constat, ad Jovem retulerunt. Hic mos, hæc consuetudo, auctoritatem legibus conciliandi, paganorum fuit. Sed meliorem statuo illorum esse conditionem, qui non ad Apollinis aut Jovis Cretensis sed Messiæ sceptrum mitissimum & Magistratus christiani decreta labores, studia, actiones suas dirigere tenentur. Felicem hinc prædico dulcissimam Elbingam & scholam in ea Elbingensem, quæ æquissimis semper ornata juribus legibusque, quicquid emolumenti, quicquid nitoris habet, omne illud & sceptro Messiæ regio & curæ Patronorum indefessæ ferre debet.

Quæ

z) in harm. apost. c. III. §. 3. p. 28.

aa) Schuberti Phil. Pr. c. IV. Polit. §. 1735.

Quæ quidem leges scholasticæ cum crastina, DEO dante! luce,  
more a Majoribus laudabiliter tradito, publice iterum prælegendæ  
sint, illos quorum maxime interest, serio monendos duximus, ut  
paterna monita atque præcepta non auribus saltem hauriant, sed qui  
festivitatis hujus finis est, illa quoque animo & memorie reponant,  
quo habeat semper omnis Docentium & discentium corona, ad quod  
scientiam & conscientiam, studia moresque suos componere possit.  
Cui sane solemnitati maximum pondus, præstantissimum valorem,  
novumque calcar illos addituros esse confidimus, quos LL. istarum  
Statores & Conservatores venerari nostra jubet pietas. Hinc VOS,  
ILLUSTRIS, PERMAGNIFICI, GENEROSI ET AMPLISSIMI  
URBIS PROCERES, DN. DN. BURGGRABIE REGIE, PRÆSES,  
PRÆCONSULES, CONSULES, PATRONI ET MÆCENATES,  
summo quo fas est observantiæ cultu devenerandi: VOS item, EX-  
PERIENTISSIMI, PL. REVERENDI, CLARISSIMI, PRÆNO-  
BILES, NOBILES, SPECTABILES, HUMANISSIMIque MUSA-  
RUM FAUTORES LONGE ÆSTUMATISSIMI, omni reveren-  
tiæ officiique studio rogamus, obsecramus, obtestamur, ut præsentia  
VESTRA honorifica Gymnasium patrium collustrare & LL. SS.  
prælectioni ac juventutis translocatæ, quæ moderante DN. JO. DAN.  
HOFFMANNO, CORRECTORE PRÆCLARISSIMO, COL-  
LEGA FIDELISSIMO ac AMICO NOSTRO LONGE AMAN-  
TISSIMO insimul *de Jubilæis* verba faciet, lustrationi benevole inter-  
esse, haud dedignemini. Quo vero rite omnia & decenter fiant,  
RECTOR Musica consuetâ præmissâ, sceptri legalis necessitatem  
probaturus prævia brevi oratiuncula *de licentia legibus temperanda*,  
actus hujus solemnia aperiet. Summus modo rerum humanarum  
arbiter felicissime omnia vortere jubeat! P. P. Elb. d. IX. Sept.

A. MDCCL.

